Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25888
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius emanuel

Compl. Gratiam tuam domine mentibus nris infunde: qui angelo nuntiante xpi filii tui incarnationem cognouimus: per passionem eius et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur Qui tecum

Rudberti Episcopi officium

Statuit ei dominus testamentum pacis et principem fecit eum ut sit illi sacerdotii dignitas in sempiternum ps misericordias dni in eternum cantabo

Oratio Deus qui nos deuota confessoris tui atq; pontificis bti Rudberti instantia: ad agnitionem tui sanctissimi nominis vocare dignatus es: concede propitius: ut cuius solemnia colimus eadem patrocinia sentiamus Per dnm

Lectio libri sapientiae

Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit deo et inuentus est iustus: et in tempore iracundie factus est reconciliatio: Non est inuentus similis illi: qui conseruauit legem excelsi: Ideo iure iurando fecit illum dominus crescere in plebe sua: Benedictionem omnium gentium dedit illi: et testamentum suum confirmauit super caput eius: Cognouit eum in benedictionibus suis: conseruauit illi misericordiam suam: et inuenit gratiam coram oculis domini: Magnificauit nomen eius in conspectu regum: et dedit illi coronam glorie: Statuit illi testamentum sempiternum: et dedit illi sacerdotium magnum: et beatificauit illum in gloria sancta sacerdotii: et habere laudem in nomine ipsius: et offerre illi incensum dignum in odorem suauitatis Gradualis Inuenit dauid seruum meum in oleo sancto meo vnxi eum manus enim mea auxiliabitur ei et brachium meum confortabit ℣ Nihil proficiet inimicus in eo et filius iniquitatis non nocebit eum Tractus Beatus vir qui timet dnm in mandatis eius cupit nimis ℣ Potens in terra erit semen eius generatio rectorum benedicetur ℣ Gloria et diuitie in domo eius et iustitia eius manet in secl secl

Nullo tempore Dixit dominus discipulis suis Sint lumbi vestri S. Lucam precincti: et lucerne ardentes: Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur cum venerit et pulsauerit confestim aperiant ei: Beati serui illi: qs